



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

Quæstio prima, de Deo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79842](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79842)

neutiquam cogitantes se, dum in Origenem officiosi esse student, existimationi suæ ac pudori parum consulere. Nobis veritatem persequi propositum est, & Adamantium vel accusare, si ita res ferat, vel excusare, quoad patietur candor noster; sed ita tamen usque præstandum ipsi defensionis officium finis paratior: quod triplici fere ratione facere instituimus, vel molli ac benigna interpretatione locis controversis adhibita; vel prolatis ex ipso Origene contrariis ac repugnantibus effatis; vel similibus Patrum adductis sententiis. Posterior uterque defensionis modus a nonnullis reprobatus est, & secundus quidem ab insigni ætatis nostræ Theologo, idcirco nimirum quod ex oppositis Origenis testimoniis concluditur solummodo diversa ipsum sensisse, non vero perveris opinionibus neutiquam adhæsisse. At non aliam tamen protegendi Adamantii commodiorem viam insistere se putavit Pamphilus in Apologetico. Nam cum ab Hæreticis violata esse constaret Origeniana volumina, si quæ sententiarum deprehendebatur varietas, merito in Hæreticorum fraudes varietatis causa convertebatur. Præterea ut errasse Origenem demus, fatendum est saltem incertum animi in iis fuisse quæstionibus, & à pertinaciæ crimine longe abfuisse, quo uno satis purgatur. Tertia quoque tuendi Origenis ratio, quæ ex Patrum adstitutione sumitur, repudiatur ab Hieronymo; qui, cum eodem pacto Origenem defendisset Johannes Hierosolymitanus, hæc scripsit ad Theophilum: *Novum defensionis genus, sic Origenis vitia non negare, ut cum illo ceteros crimineris. Videlicet quem aperte defendere non audeas, multorum simili errore tuaris.* Nempe non raro contigit, ut quod in Origene damnavat Hieronymus, ejus ipse reus teneretur. Id cum ipsi objicerent adversarii; purgari Origenem volebat, non suo aliorumque exemplo defendi. Quapropter Rufinus Invect. 1. ita loquentem inducit Hieronymum: *Omnes isti (Patres) ut Origenes erraverunt: sed accipiant erroris sui veniam, quia & ego aliquando erravi, & nunc penitentiam gero, sed veniam accipere debeo. Origenes vero cum eadem quæ ego dixerit, etiamsi penitentiam egit, veniam non accipiet: imo pro his quæ omnes diximus, solus ipse damnetur.* Si quando vero acculabatur Hieronymus ipse, Origenis patrocinium pro se ambire non dubitabat: sibi concedi volens, quod negabat Origeni. Merito itaque ait Rufinus Invect. 2. *Si hoc fecit Origenes, si hoc non fecit, quid ad te? Si ad illius exemplum judicari vis, relege sententias tuas, & vide quid dixeris. Hoc non est, inquis, se purgare, sed socios criminis querere.* Noli ergo & tu socios criminis querere, sed purificationem facti require. Profecto hæc si criminationum eripiat depulsio, legitimo & in ejusmodi controversiis receptissimo defensionis argumento carebimus, & à Patribus etiam post Hieronymum sæpe usurpato. Nam, ut alios sileam, numquid simili patrocinio Theodori Mopsuesteni causam munivit Facundus, qui undecimum Operis sui librum conquisitis Patrum paribus sententiis totum referat: *Statuimus*, inquit, *in hoc volumine magnorum virorum dicta proferre similia, ad excusandum difficiliora his pro quibus eum putaverunt, tamquam magistrum Nestorii, anathemate percellendum.* Et nunc in velitationibus adversus Heterodoxos, quid utilitatis quam suffragio Patrum, & consensione pugnare? Triplici hoc ergo vallatus præsidio, prodeat tandem ad pugnam Origenes.

Hujus dogmata quæstionibus quatuordecim comprehendimus; I. est de Deo: II. de sanctissima Trinitate: III. de Christo, ejusque Incarnatione & *innotitia*. IV. de B. Maria Virgine: V. de Angelis bonis & malis: VI. de anima: VII. de libero arbitrio, gratia, & E prædestinatione: VIII. de Astris: IX. de resurrectione mortuorum: X. de postremo judicio: XI. de pœnis & præmiis: XII. de mundo, Paradiso terrestri, & Adamo: XIII. de allegorica Scripturæ interpretatione: XIV. quæstiunculas aliquot quasi per futuram complectitur.

QUÆSTIO PRIMA.

DE DEO.

I. *Utrum circumscriptam esse Dei potentiam Adamantius dixerit: II. quemadmodum ipsi à Patribus quibusdam objicitur: III. cui & nonnulli assensu sunt. IV. Ex Academia manavit isthæc doctrina. V. Utrum corporeum esse Deum ratus sit. VI. Ab hæreseos hujus suspitione vindicatur. VII. Objecta diluuntur. VIII. Multos hic error infect.*

I. **P** RIMUM hoc nomine vapulat Adamantius, quod finitam esse ac terminis circumscriptam Dei potentiam crediderit, totque cum procreasse res, quot providentia sua continere & administrare poterat; tantam eum fecisse materiam, quantum valebat ornare, & in rerum formas dividere; tantum ipsum potuisse, quantum ei ad agendum materia ministravit; nec in infinitum proferendam ejus potentiam, laudis ob-

tentus

A tentu; ne seipsam quippe à se intellectum iri nisi determinata foret, infinitum enim com-
prehendi non posse. Quotiescunque igitur Deum omnipotentem Origenes dixerit, res
omnes quæ ab eo creatæ sunt in ejus esse potestate; non vero infinitum rerum numerum
ab eo creati, & ad libitum regi posse intellexerit; hoc est, esse quidem eum παντοκράτορα, at
παντοδύναμον non esse. Atque hæc sane sententia ex his ejus verbis satis extat: *Deus Pater* *Orig. lib. 1.*
omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est cæli & terræ, Solis & Lune, & Stellarum
omniumque quæ in ipsis sunt. *cap. 2.*

II. Itaque hoc ei crimen objicit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali Epistola;
cui testificando disertum profert è primo de principiis libro fragmentum Justinianus Impe- *Infin. in*
rator, quod in Latina Rufini interpretatione libro 2. cap. 2. non parum deformatum repe- *Epist. ad*
bitur. Præterea idcirco maundum Deo coæternum credidisse illum refert Methodius apud *Men.*
Photium Cod. 235. quod semper fuerit παντοκράτορ, minime autem παντοκράτορα esse posse
ἀλλο ὃν ἡγεμὼν. Unde sequitur omnipotentem esse, non quod omnia possit efficere, sed
quod in omnia quæ sunt, potestatem habeat. Rufinus Palæstinus in libello de fide, quem
edidit Sirmundus: *Impie, inquit, Origenes, ac nefarie fatus est, qui sic dixit: Non omnia quæ vo-*
luit Deus fecit, sed ea tantum quæ potuit continere, & comprehendere. Qui cum hoc dixit, ademit
Domino cunctorum potentiam, quasi ex parte dimidia ei faciendi potestas daretur. Nam si continen-
di, ac sibi quæ faceret subjungendi non habet, ut ille æstimat, facultatem, ne creandi quidem scilicet po-
testatem habeat. Nam qui creandi facultatem habet, & subjungendi sibi creatæ similiter habeat.

III. Vanum ergo Origeni patrociniū præbet Halloxius, id sibi velle Origenem prædi- *Hall. lib. 4.*
cans, cuncta Deo esse subiecta, & ejus omnipotentem in creando æqualem esse sapientiam in gubernan- *Orig. def.*
do, ita ut nunquam fieri possit, ut tot tantæque creet, quin tot & tanta gubernare possit; ut sapientia *Quæst. 6.*
gubernatoris equiparetur potentia conditoris. Quod si in eadem questione celsipantium nume-
rus facere aliquid potest pro causâ Origenis, dabimus Petrum Abaelardum, hominem in-
quieti ingenii, & novarum opinionum studiosi, qui libr. 3. Introduct. Theolog. cap. 5. ita
disputat: *Quantum igitur æstimo, cum id tantum Deus facere possit, quod eum facere convenit, nec*
eum quidquam facere convenit, quod facere prætermittat, profecto id solum eum posse facere arbitror,
quod quandoque facit: licet hæc nostra opinio paucos aut nullos habeat assentatores, & plurimum di-
ctis Sanctorum, & aliquantulum à ratione dissentire videatur. Dabimus & Gulielmum Parisi-
ensem, qui plures à Deo mundos procreari posse negabat.

IV. Videntur ex profecto è Veteris Academiæ orta decretis: docuit enim Plato, quem
fere affectatur Adamantius, Deum esse ipsum animum mundi, omnia quæ in mundo sunt
procurantem & administrantem. Cicero i. Academ. Quæst. Partes autem esse mundi (putant
Academici) omnia quæ insunt in eo, quæ natura sentiente teneantur, in quaratio perfecta insit, quæ
sit eadem sempiterna: nihil enim valentius esse à quo intreat. *Quam vim animum esse dicunt mun-*
di, eandemque essentem, sapientiamque perfectam, quam Deum appellant, omniumque rerum quæ
sunt ei subiectæ quasi prudentiam quandam, procurantem cælestia maxime, deinde in terris ea quæ
pertinent ad homines, quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter esse possit, atque ab ea
constitutum sit. Atqui rei unitus cujusque animus huic animandæ & regendæ par vim suam ad
plura animanda non potest exerce: intra rei enim sibi subiectæ terminos hæc ipsius vis cohi-
betur. Animus ergo mundi, qui juxta Platonem Deus ipse est, potestatem suam ad aliud ani-
mandum extra mundum proferre non potest; igitur ne ad creandum quidem. Quapropter
Plotinus nihil creare Deum posse decrevit, præterquam quod creavit.

V. Deo corpus ab Origene adscriptum fuisse nonnulla persuadere possunt. Primum ar-
gumentatio illa, quam è libr. 3. *Dei ἀρχῶν* adducit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3.
qua animam corpore carituram demonstrare studet Adamantius, quia Sancti Deo similes
futuri sunt, juxta illud Christi: *Vi quo modo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint;* *10h. 17. 21.*
Deus autem est incorporeus. Quod ipsum reperire licet Homil. 1. in Genes. & libr. 6. contr.
Celli. At ostendemus in sequentibus, animam licet incorporealem statuere videatur, talem
tamen respectu crassiorum corporum ab eo prædicari, revera corpore præditam decer-
ni; quemadmodum vel ex priore capite librorum de princip. perspicuum est, ubi vim
vocis hujus, *δομῶν* exponens, accipi docet pro eo quod *non est simile huic nostro cras-*
siori, & visibili corpori, sed quod est naturaliter subtile & velut aura tenuē. Deus igitur cui
anima similis est, juxta Origenem reapse corporalis est, sed graviorum tantum ratione cor-
porum incorporeus. Hieronymus præterea cap. 3. memoratæ ad Avitum Epistolæ ait, Ori-
genem ad extremum libri 3. *Dei ἀρχῶν* hæc intulisse: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa*
natura corporea redigatur in eam substantiam quæ omnibus melior est, in divinam scilicet qua nulla
est melior. Et sub finem ejusdem Epistolæ refert Origenem lib. 4. *Dei ἀρχῶν* conjugere omnes
rationabiles naturas, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Domina-
tiones, ceterasque Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem unius esse substan-
tia. Id ipsum ex ejus doctrina consequi probat Theophilus Alexandrinus i. Pasch.

VI. Nihilominus tamen ab hac longe hæretici abfuisse ipsum aperte evincunt loci com- A
plures; maxime vero caput 1. libri 1. *ἡ δὲ ἀρχὴ*, quo corpus omne à Deo apertissime segre-
gatur. Denum post longam rei hujus probationem sic habet: *Omni igitur sensu, qui corpore-*
um aliquod de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confutato, dicimus secundum veritatem qui-
dem Deum incomprehensibilem atque inestimabilem. Deinde: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in*
corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis ad-
mittens, uti ne majus aliquid & inferius esse credatur: sed ut sit ex omni parte movēs, & ut ita dicam
totus mens ac sensus, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est: & cap. 6. Solius Dei,
id est Patris & Filii, & Spiritus sancti naturæ id proprium est, ut sine materiali substantia, & absque
ulla corporeæ adjunctionis societate intelligatur subsistere: & libr. 2. cap. 2. Solius namque Trinitatis
incorporea vita existere recte putabitur: & libr. 4. cap. 2. Illa vero substantia Trinitatis, quæ prin- B
cipium est & causa omnium, ex qua omnia, & per quam omnia, & in qua omnia, neque corpus, neque
in corpore esse credenda est. Præclare vero cap. 4. sequenti: *Si corpus esse pronuntietur Deus,*
quoniam omne corpus ex materia est, invenietur & Deus esse ex materia: quod si ex materia sit, ma-
teria autem sine dubio corruptibilis est; erit ergo jam secundum illos corruptibilis Deus. Quæ si quis
à Rufino gratis inserta putet, eandem ratiocinationem iteratam ac dilatatam videat Tom.
14. in Joh. p. 214. 215. Item libr. 8. contr. Celli. sic ait: *ὡς δὲ καὶ ἡμεῖς εἰπομεν ὅτι οὐκ ἔστιν*
θεοποίησις τοῦ θεοῦ πρὸς τὴν φύσιν αὐτοῦ, οὐδὲ τὴν φύσιν αὐτοῦ πρὸς τὸ θεοποιεῖν. Denique in Catena
Combesiana ad Gen. 1. 26. & apud Theodoretum Quæst. 20. in Exod. Melitonen non
perfunctorie castigat, qui librum scripserat hoc argumento, Deum esse corporeum. Sane
ipse Plato, cujus dogmata fere amplexus est Origenes, à Deo corpus omne removet: remo- C
vet & Aristoteles.

VII. Cum ait igitur Origenes animam corpore carituram, quia similis futura est Deo qui
corpore caret, id sibi vult, Deum & animam corpore carere *ὑπονόμους* quidem, sed non eo-
dem modo; Deum quippe simpliciter & absolute esse incorporeum; animam vero crassio-
rum duntaxat corporum ratione. Quod autem obijciunt Theophilus & Hieronymus, De-
um unius & ejusdem substantiæ ac res ratione præditas Adamantium posuisse, pari respon-
sione dissolvitur; in eo illas convenire substantias, quod sint *νοεῖαι & λογικαί*, cum immensum
cæteroquin differant. Firmat hanc responsonem locus ipse Origenis quem affert Hiero-
nymus: *Intellectualem, inquit, rationabilemque naturam sentit Deus, & unigenitus Filius ejus, &*
Spiritus sanctus; sentiunt Angeli, & Potestates, cæteræque Virtutes; sentit interior homo, qui ad D
imaginem & similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur, Deum & hæc quodammodo unius
esse substantiæ. Quodammodo, id est, aliqua ex parte; quod ad effugiendum sacrilegii crimen
additum ait Hieronymus; nos benignius interpretari possumus.

VIII. Quæ cum ita sint, hæc tamen scribit Origenes in Procem. libror. *ἡ δὲ ἀρχὴ: Deus*
quoque quomodo intelligi debeat, inquirendum est, corporeus, an secundum aliquem habitum defor-
matus, an alterius naturæ quam corpora sunt, quod utique in prædicatione nostra manifeste non de-
signatur. Inde est quod Deum corporealem esse absque dubitatione decrevit Tertullianus,
cum alibi, tum advers. Praxeam, cap. 7. *Quis enim negabit, inquit, Deum corpus esse, et si spiri-*
tus est? spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed & invisibilia illa quæcunque sunt, ha-
bent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt; quanto magis E
quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit? Quæ quamvis manifesta sint, in
contrariam tamen sententiam flectere conantur quidam, per corpus substantiam intelligi
volentes. Quasi vero tam Latini sermonis imperitus fuerit, & vocabulorum inops Tertul-
lianus, ut rem per se extantem notare volens, non aliter appellare potuerit, quam corpus,
Idem de Deo senserunt Valentinus, Seleucus & Hermias Galatæ, Audius, & ejus assecræ
Audiani (quos alii subinde Vadianos perperam appellarunt) & Egyptii Anthropomor-
phitæ, de quibus infra differemus.

QVÆSTIO SECUNDA.

F

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

I. In multis circa S. Trinitatis mysterium errores incidisse fertur Origenes, quorum
gravissimi notantur. II. Hoc nomine Patrum multorum reprehensiones expertus est. III.
Utrum S. Trinitatis Personas substantia differre opinatus sit. IV. Nonnulla in ejus
defensionem afferuntur. V. Eruntur germana ipsius sententia. VI. Utrum Filium per
prolationem genitum esse arbitratus sit. VII. Utrum Filium Patre, Spiritum sanctum
Filio inferiore esse dixerit. VIII. ita ut jactatur à plurimis. IX. Viriusque dignitatem
videtur